

Tusc. I. 27, 28, 29. Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil est enim in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt. Nec enim invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita, quidquid est illud, quod sensit, quod sapit, quod vivit, quod viget, cæleste et divinum, ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretionem mortali, omniaque sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc e genere, atque eadem e natura est humana mens.

A. Ubi igitur, aut qualis est ista mens?

M. Ubi tua, aut qualis? potesne dicere? An, si omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, ne iis quidem, quæ habeo, mihi per te uti licebit? Non valet tantum animus, ut sese ipse videat. At, ut oculus, sic animus se non videns, alia cernit. Non videt autem, quod minimum est, formam suam, quamquam fortasse id quoque: sed relinquamus; vim certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Hæc magna, hæc divina, hæc sempiterna sunt. Qua facie quidem sit, aut ubi habitet, ne quaerendum quidem est. Ut, quum videmus speciem primum, candoremquæ cæli; deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus; tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem, lunamque accretione et deminutione luminis, quasi fastorum notis